Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26491
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Lectio.

214

ambulate et desidia carnis non perficietis. Caro enim concupiscit
adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. Hec enim sibi invicem adversantur, ut
non quecumque volueris illa faciatis. Quod si spiritu ducimini, non estis sub le
ge. Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immundicia,
luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicicie, contentiones, emulatio
nes, iracundiæ, rixe, dissensiones, sectæ, invidie, homicidia, ebrietates,
comessationes et his similia, quæ predico vobis sicut predixi quoniam qui talia
agunt regnum dei non consequentur. Fructus autem spiritus est caritas, gaudium, pax,
patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Adversus huiusmodi non est lex.
Qui autem sunt christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. frs.
Si vivimus spiritu, spiritu et ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, in
vicem provocantes, invicem invidentes. Fratres, et si preoccupatus fuerit homo aliquo delicto, vos qui spirituales estis huiusmodi instruite in
spiritu lenitatis considerans te ipsum ne et tu tempteris. Alter alterius onera portate
et sic adimplebitis legem christi. Nam si quis existimat se aliquid esse cum nichil sit, ipse
se seducit. Opus autem suum probet unusquisque, et sic in semetipso tantum
gloriam habebit et non in altero. Unusquisque enim onus suum portabit. Communicet autem
catechizatus verbo omnia bona eius qui se catechizat. Nolite errare, deus non irridetur. Quæ autem seminaverit
homo hec et metet. Quoniam qui seminat in carne sua de carne et
metet corruptionem, qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet
vitam eternam. Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim suo me
tent non deficientes. Ergo dum tempus habemus operemur bonum ad
omnes, maxime autem ad domesticos fidei. Videte qualibus litteris frs. qlib
scripsi vobis manu mea. Quicumque enim placere volunt in carne
hii cogunt vos circumcidi, tantum ut crucis christi persecutionem non
patiantur. Neque enim qui circumciduntur legem custodiunt, sed volunt
vos circumcidi, ut in carne vestra glorientur. Michi autem absit gloriari
nisi in cruce domini nostri ihesu christi, per quem mihi mundus crucifixus est et ego mundo. Nam in christo ihesu neque
circumcisio aliquid valet neque preputium, sed nova creatura. Et quicumque
hanc regulam secuti fuerint, pax super illos et misericordia, super
israel dei. De cetero nemo mihi molestus sit. Ego enim stigmata domini
ihesu in corpore meo porto. Gratia domini nostri ihesu christi cum uestro spiritu fratres. Amen.